



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XI. De His, Quæ Fiunt A Maiore Parte Capituli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

us, prout *exc. 2. dist. 63.* colligitur; tractatus enim præcedit, hæc autem sequuntur, quare si ex statuto, vel mandato aliquis ad tractatum admitti debeat, hinc tamen consequens non est, quod vocem decisivam, aut suffragium quoque habere debeat. Circa *Gl. finale* dicendum, quod Laici potestate præditi, Concilii interesse possint, tanquam testes, patroni, ac defensores, non item, ut ipsas controversias

fidei, aliæque Ecclesiastica negotia tractent, multò minus decidant *argum. c. 2. dist. 63. & notavit Joann. And. hic in fine c.* atque tradit *S. Ambrosius lib. 5. epistolâ 32. ad Valentinianum Augustum.* Agnovit Gratianus imperator in epistola lecta in Aquilienſi Concilio. Theodosius, & Valentinianus junior in epistola ad Concilium Ephesinum. Nam Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent *c. 2. de judicijs.*

## TITULUS XI.

### DE HIS, QUÆ FIUNT A MAIORE PARTE CAPITULI.

**P**ostquam dictum fuit de negotijs Ecclesiæ, quod à Prælato cum Capituli consilio, & in quibusdam casibus cum consensu ejusdem tractari debeant, sequitur, ut de ijs jam negotijs, quæ propriè ad Capitulum spectant, agatur.

#### CAPITVLVM I.

#### Cum in cunctis.

##### PARAPHRASIS.

Quandoquidem ratio dicit in cunctis Ecclesijs id, quod pluribus, & sanioribus Fratribus visum fuerit, sine cunctatione observandum esse, idè grave, & dignum reprehensione est, quod in aliquibus Ecclesijs interdum pauci non tam ex ratione, quàm propriâ voluntate Ecclesiasticam ordinationem impediunt, & procedere non permittunt, quare in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. *c. 16.* decretum fuit, ut nisi pauciores, & inferiores rationabiliter aliquid objecerint, atque ostenderit contrarium, id quod à majore, & saniore parte Capituli statutum fuerit, remotâ appellatione

semper prævaleat, & effectum suum consequatur. Neque constitutioni isti obstare debet, si quispiam ad Ecclesiæ suæ consuetudinem conservandam se juramento astrictum proponat, cum non juramenta, sed potius perjuriam dicenda sint, quæ contra Ecclesiæ utilitatem, & SS. Patrum instituta tendunt; si quis autem talem consuetudinem, quæ nec ratione juvatur, nec sacris Canonibus congruit, jurare præsumperit, à perceptione Corporis Domini, donec dignam egerit penitentiam, alienus maneat.

##### SUMMARIUM.

1. Quod major parti, vocem decisivam habenti, in Capitulo congregatorum placeat, executioni mandandum est, appellacione remotâ.
2. Absentes à loco vocari ordinariò, aut expectari non debent.
3. Nisi negotium arduum esset, aut tendens in præjudicium absentium.
4. Auditur tamen minor pars contradicens, si major pars irrationabiliter conclusit aliquid, aut in damnum Ecclesiæ.

Ec 3

3. Nov



5. Non obstante juramento de servandis statutis, aut consuetudinibus.

**N**otandum primò. In Capitulo, seu Collegio, quod pluribus seu majori parti congregatorum, atque vocem decisivam habentium visum fuerit, id legitime ordinatum censi debet, atque executioni, remota appellacione, mandandum. Dummodo etiam sit pars sanior, id enim præsumitur, nisi pars minor, vel etiam unicus objecerit, atque ostenderit, irrationabiliter decretum esse.

Pro pleniore intellectu adverte primò. Necessè non esse, ut pars major omnium, v. g. Canonicorum consentiat decreto, sed congregatorum, seu presentium in Capitulo, dummodo duæ partes eorum, qui adesse possunt, ac volunt, congregatæ sint secundum sententiam communiorem Doctorum; nam duæ partes Ordinis in urbe positi totum Ordinem repræsentant, ait *Gl. in L. planè 4. v. duæ partes ff. quod cuiusque universitatis & c. argum. ejusdem L. & L. precedentis, atque Glossa marginalis super eadem L. planè*: major pars presentium, & consentientium sufficit, ut universitas consensisse censeatur.

2. Notandum secundò. Absentes à civitate, vel loco vocari, aut expectari ordinariè non debent secundum *Gl. receptam in c. 2. v. ipsorum de testibus in 6.* ubi ait, id esse speciale in electione, quòd etiam absentes, si commodè vocari possint, vocandi sint *c.*

3. **quia propter 42. de electione.** Limitatur primò. Nisi negotium arduum, seu magni momenti sit, sicuti *Abbas hic* admonet *n. 15.* & ex communi tradit *Gl. marginalis in c. 2.* Limitatur secundò. Nisi id, quod decernendum est, tendere possit in singulare præjudicium absentium, prout *Gl. hic* observavit, *v. constitutum argum. c. cum omnis*, ubi videri potest *Felinus & Gl. ibid. v. constitutum.* Ubi rectissime tradit, si quid decernendum sit, quod tendat in præjudicium singulorum, sive, si agatur de juribus non universitatis, sed singulorum proprijs, non sufficere consensum partis

majoris, sed necesse esse, ut omnes consentiant *argum. L. per fundum 11. ff. de servitutibus rusticorum prædiorum.*

Notandum tertio. Siquidem à majori parte irrationabiliter, aut in damnum Ecclesiæ decretum sit, alij pauciores, minores, aut etiam unicus contradicere potest, & se opponere. Ita *argumento hujus tenoris* notavit *G. recepta in c. Nicæna 12. dist. 14.* quòd unus potest contradicere toti universitati, si habet rationabilem causam, & *Gl. marginalis ibidem*, quòd unicus Canonici potest se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ. Neque necesse est in hoc casu appellare, cum contradicens nihilominus querelam ad Superiorem deferre possit; quia enim non versatur in causa judiciali, decretum non transit in rem judicatam, prout hic *Abbas* notavit *n. 13. argum. c. constitutioni 8. juncta G. v. gravatum. de appellacionibus in 6.* Quam ob rem nihil obstat tali appellacione non tantum licitum capitularibus, sed etiam consultum, ut ad executionem procedat, prout hic ex communi tradit *Joann. And. n. 2.* postea vero si appellatio justa cognoscatur, revocabitur, quod actum fuit, prout hic de omni etia judiciali appellacione bene explicat *Inno. n. 2.* Nihilominus utile est, appellare ob plures effectus, de quibus *Joann. And. lib. 2. & Abbas n. 13.* potissimum verò, quia inferior ordinarius de causa cognoscere, sine immiscere se non poterit, si ad Superiorem provocatum sit. teste *Innoc. hic n. 1. And. n. 2.* Sin autem appellatum non sit, tunc Collegium quatenus jurisdictione prædium est in singulos, vel immediatus Superior tota via cogere potest reluctantem ad obediendum decreto, seu ordinationi, quæ communi, seu plurium consensu facta est, prout *Innoc. hic docet n. 3.* Præterquam, si excipiat, & probare velit irrationabilitatem, aut Ecclesiæ damnum, aut proprii juris præjudicium.

Corollarium. Egregiè hic tradit *Inno. n. 4.* & refert *And. n. 4.* approbat *Abbas n. 13.* quòd quilibet capitularis contradice-



ne debet, his, quæ malè fiunt, aut decernuntur à Capitulo: alioquin si taceat, consentire censetur, & cum alijs reus esse. Ratio est, quia tacens consentire censetur, si contradictione suâ possit impedire, & ratione muneris quis debeat, propterea quòd sic pars, & confors Capituli, ideòque quæ à Capitulo aguntur, etiam aliquo modo ad ipsam pertineant. Hoc etiam docui *lib. 1. tra. 2. c. 3. n. 3. §. 2.* Id verò discrimen esse ait Innoc. quòd si aliquid in damnum Ecclesiæ, vel singulorum decretum sit, capitularis appellare possit ad Superiorem; sin autem in damnum injustum personæ tertie privatæ, appellationi locus non sit, cum nihil interfit appellantis. Verùm in hoc casu capitulares evangelicè denuntiari possunt.

Coroll. secundum. Juramentum de servandis statutis, aut consuetudinibus non debet extendi ad ea, quæ Ecclesiæ damnosa, & SS. Patrum Canonibus reprobata sunt, cujusmodi censetur tale statutum, aut consuetudo, ut non valeat, quòd decretum est, nisi omnes consentiant, cum per hoc facultas ordinandi, quæ justa, & utilia sunt, præpediatur, atque quilibet Ecclesiæ commoda impedire possit.

Hinc generalem regulam colligit hic Abbas n. 9. quòd nullum juramentum tendens contra utilitatem Ecclesiæ obligat, imò verò perjurium censetur, sicuti hic dicitur: sed que notandum esse rectoribus civitatum dicit, qui jurare solent statuta, in quibus aliqua continentur adversus Ecclesiasticam libertatem; Regibus quoque, Episcopis, alijsve Prælati, si in capitulatione sua jurarint illicita, impossibilia, vel adversaria canonibus, aut libertati Ecclesiasticæ. Prout habetur *in c. 1. de jurejurando in o.* Ratio dari debet, quia juramentum circa materiam juris intelligitur secundum terminos juris, uti docui *lib. 4. tra. 3. c. 9. n. 2.* cum igitur consuetudo Ecclesiæ damnosa, aut sacris Canonibus reprobata de jure non subsistat, sequitur, neque juramentum de ea observanda subsi-

stere. His adde doctrinam Joann. And. hic n. 7. cui consentit Gl. c. in his disp. 11. Communiter tenetur, inquit Andreas, quòd juramentum, quo singulares è Collegio jurarunt, servare statuta, non impedit, quòd minus ea collegialiter tolli possint; arctat enim juramentum singulares, quamdiu sunt statuta, & sic servat totus orbis. Et postea: sicuti juramentum de obediendo Prælato non obligat, sublato eo, sic nec juramentum de obediendo statuto obligat, sublato illo.

## CAPITULUM II. Quæsitiv.

### PARAPHRASIS.

Claremonensis Episcopus retulit ad Cælestinum III. quòd interdum aliqui ex Canonicis, etiam minimis, Ecclesiam suam absque aliorum Canonicorum, ipsiusque Episcopi assensu, interdicto subijciant, eò quòd pensio Ecclesiæ debita soluta non sit, aut Clericus, vel paracianus aliquis deliquerit. Ad id respondet Papa, interdictum tale servandum non esse, sed nec universim loquendo, interdictum locale, ob quòd Ecclesia silere debeat, ferendum esse, nisi gravis excessus fuerit, atque Episcopus & Capitulum consensum dederint; alioquin si quis deliquerit, is ipse Ecclesiasticæ coercitioni subijciatur, cum pœnæ auctores suos tenere debeant, nec pœna sit ulterius protrahenda, quàm delictum fuerit in excedens repertum.

### SUMMARIUM.

1. Alijs majores inter Canonicos censentur, qui atate, scientiâ, morum gravitate, ac officijs præcedunt alios.
2. Interdictum locale, quando, & quomodo ferri possit?
3. Quomodo pœna delicti non afficiat, nisi delinquentes?

NOTandum primò. Inter Canonicos, qui atate, scientiâ, morum gravitate, officijs ac dignitate præcedunt, alijs majores cen-



ceuseri debent *argum. hujus c. v. etiam minimis*, quorum proinde suffragia, & sententia plus aestimari debent *argum. c. dudum 22. de electione*, & consentit hic *Abbas not. 1.*

2 Notandum secundò. Ut interdictum locale feratur etiam particulare, seu in certam Ecclesiam, aut sacrum locum, requiritur primò. Delictum valde grave junctum cum Ecclesie injuria, aut debonestatione. Secundò. Ut admissum sit non à persona privata, sed à communitate, aut capite communitatis, seu personâ publicâ. Tertiò. Auctoritas Episcopi & consensus Capituli ejus. Vide, quæ dixi *lib. 1. tra. 5. p. 4. c. 1. n. 3. & c. 4.*

3 Notandum tertio Pœna ob delictum inflicta suos tantum tenere debet auctores: neque decet, ut innocens unâ cum nocente pœnis involvatur. Idque verum est per se, ac directè, & si de pœna propriè dicta sermo sit; indirectè tamen, & interdum per accidens ob justam causam etiam innocentes cum nocentibus incommodis, & damnis involvi possunt, juxta ea, quæ docui *in cit. c. 1. n. 3. & lib. 2. tra. 3. c. 12. q. 3.* & ita intelligenda est regula 23. in 6. *sine culpa, nisi causa subsit, non est puniendus aliquis*, id est, jure suo privandus, prout bene explicat *Gl. in c. 2. v. culpa caret. de confirmationibus* & docui ibidem *limitatione 2.*

### CAPITULUM III.

#### Ex ore.

##### PARAPHRASIS.

Quidam B. nomine à Cælestino III. impetravit literas pro filio suo B. ad Decanum, & Capitulum Ecclesie Augustinæ, ut intra mensis spatium eundem filium eligerent in Præpositum, missio etiam annulo investituræ, atque constitutis quibusdam Apostolici mandati executoribus. At verò Capitulum, postquam intellexit C. Præpositum suum in Brixienis Ecclesie Episcopum electum,

& confirmatum fuisse, licet dictas literas recepisset, tamen non sine contemptu terminum designavit, intra quos executoribus super Apostolico mandato respondere deberet, atque interim H. Decanum Ecclesie Augustinæ in Præpositum elegit, cui dictus B. filius reverentiam tanquam Præposito exhibuit. Postea H. mortuus est, & Capitulum iterum elegit eum, ad quem hujus Capituli literæ destinantur, opponente tamen dicto B. atque ad Sedem Apostolicam appellante. Hæc controversia inter H. & B. postquam Romæ à Cardinale, cui erat Papa commiserat, auditis allegationibus, & arrestationibus cognita, & Pontifici relata fuisset, is hic decisionem retinuit, quia legitime constituit, quòd B. de Præpositura nunquam fuerit investitus, licet mandatum esset, ut investiretur; sed etsi investitus fuisset, tamen investitura à Cælestino III. certâ ex ratione (tortâ propter ætatis defectum) callata fuit. Denique tamen si cassatio non intervenisset, tamen, quia dictus B. ipsi H. reverentiam, quæ Præposito debetur, exhibendo, juri suo renuntiasse videtur, non considerat Pontifex, quòd B. non potuerit de jure competere, aut per appellationem Ecclesie concordem ordinationem impedire: denique quia intellexit, eum, cui hic scribitur, à majorum dignitate, tum numero parte eorum, quibus eligendi jus competit, in Præpositum canonicè electum fuisse, non electionem hanc auctoritate Apostolica confirmat, & ipsi B. super Præpositura silentium indicit.

##### SUMMARY.

1. Qui reverentiam debitam dignitati exhibet alteri, videtur jure suo, quod habet, ad illam dignitatem cedere.
2. Electus à Capitulo, cui jus ad eligendum competit, potest sua priora beneficia



scia in manus Capituli resignare, ante consecrationem.

Notandum primò, Si Clericus, qui in beneficio pro Præpositura jus prætere- dere potest, ejus possessori reverentiam exhibeat, quæ Præposito debetur, juri suo renuntiare censetur. Quam ob rem cauti sint actores, & procuratores eorum, ut beneficii possessorem, vel intrusum, contra quem actio est, non absolutè vocent Præpositum, aut Parochum (ne id fateri videantur) sed, qui se asserit Parochum &c.

Notandum secundò, Si Capitulum habeat jus eligendi Decanum, vel Præpositum, tunc Decanus, vel Præpositus, postquam electus fuit in Episcopum, renuntiare potest in manibus Capituli, & liberam facultatem dare alium eligendi, saltem spectato isto jure. Cùm enim Præpositura, vel Decanatus ejus non vacet ante consecrationem, idèd per renuntiationem vacat. Ita Abbas hic in sine contra Joann. And. n. 5. atque id in Germania observant, sicuti dixi de præbendis.

CAPITULUM IV.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Rothomagensis proposuit Canonis suis, ut cum ipso pro restauranda Ecclesia Cathedrali aliquam redituum portionem tam pio, & necessario operi singuli deputarent, quo in tractatu variæ fuerunt Canoniorum sententiæ; cum autem ea res ab Archiepiscopo relata esset Innocentio III. is hic respondet, si aliqui contradixerint ijs, quæ ab Archiepiscopo, & majore, ac saniore Capituli parte statuta sunt, postpositâ contradictione, quòd sententia plurium firmitatem debeat obtinere.

SUMMARIUM.

Major & Sanior pars Capituli cum suo Episcopo, etiam de redditibus singulo-

rum diminuendis in restaurationem necessariam fabrica statuere potest, quamvis minor pars contradicat.

2. Quando decisio hujus Capituli in alijs causis locum habeat.

Notandum. Major, & Sanior pars Capituli cum Episcopo, seu Prælato statuere potest, etiam contradicente parte minore, ut ex mensa capitulari cum diminutione redituum singulorum Canoniorum portio aliqua deputetur pro Ecclesiæ restaurandâ fabricâ. Ita intelligit Antonius de Butrio hic. Ratio dari debet, quia est communio inter Ecclesiam materiale & Ecclesiam quasi formale, quam Episcopus unâ cum Capitulo constituit; adèd quidem, ut secundum primævam beneficiorum institutionem proventus dividi debeant, ita, ut portio una proveniat mensæ Episcopali, altera mensæ capitulari, tertia Ecclesiæ fabricæ, quarta Pauperibus. Nam hæc censetur fuisse fundatorum voluntas, ut ex largis eorum dotationibus his omnibus videl. fabricæ, Prælato, ministris Ecclesiæ, atque pauperibus provisum sit, consequenter si una pars harum, v. g. Ecclesiæ fabrica indigeat, & ex alijs partibus videl. Episcopi, & Capituli commodè asserri possit subsidium, charitatis, & communionis, lex ipsaque primæva bonorum Ecclesiasticorum institutio id postulare videtur. Num autem necessitas talis adsit, cui per hunc modum subveniri commodè possit, ad Episcopum, & Capitulum pertinet, decernere, ita ut minor pars majoris sententiam sequi teneatur; imò si evidens sit, capitularem mensam abundare, Ecclesiæ autem fabricam necessitatem pati, tunc Episcopus Capitulum etiam compellere poterit ad subveniendum, quandoquidem ad hoc de jure obligatur, prout hic Abbas notavit in sine Capituli, & sumitur ex c. 1. & c. de his: de Ecclesijs adificandis &c.

Sed quæstio est, utrum hujus Capituli decisio locum etiam habeat in alijs pijs, ac necessarijs operibus, si, v. g. Episcopo, atque majori parti Capituli videatur Cleri-

FF corum



corum Seminarium erigendum, atque ex singulorum Canonicorum Ecclesiasticis proventibus aliquid contribuendum? Pro negativa constitutionis parte est regula recepta, quod major pars universitatis de rebus, aut juribus singulorum, vel cum præjudicio singulorum statuere non potest, nisi omnes consentiant *argum. L. per fundum 11 ff. de servitutibus rusticorum prædiorum*. Et tradit *Gl. recepta in c. cum omnes 8. de constitutionibus*. Nihilominus affirmantem partem tenent *Innoc. Ans. & Abbas hic*. Ubi singulariter tradunt, quod major pars universitatis, seu Collegij decernere possit cum præjudicio, seu diminutione juris singulorum, si singuli jus illud non participant, ut proprium, ac singulare, sed ut jus Ecclesiæ, alteriusque universitatis. Quæ est probabilis resolutio, secundum quam dicendum, quod pars major, & sanior communis, universitatis &c. pacisci, aut

transigere possit circa jus, v. g. pascendi, aut ligna cadendi ad universitatem, v. g. oppidum spectans, ita, ut singuli oppidani eo jure in proprium commodum gaudeant, cum non sit jus singulorum, sed jus communis, licet usus, aut fructus singulorum sit. Ita similiter jus percipiendi redditus beneficiales principaliter pertinet ad Capitulum, seu Ecclesiam, licet secundarius usus, & fructio nem partes, ac portiones visæ, & attributæ sint singulis. Necessarium tamen est, ut dispositio, aut decretum tale fiat propter necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ; utilitas enim necessitate æquiparatur. Sin autem fiat propter alioquin pio, sed extraneo sive ad Ecclesiam illam non multum pertinente, aut sine necessitatis ratione, tunc pars minor, vel unusquis se opponere, & impedire potest, intendendo proprium, seu singulare præjudicium.

## TITULUS XII.

### UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.



Um in superioribus titulis dictum sit de beneficijs Ecclesiasticis, eorumque collationibus, & num fieri possint Sede vacante, an Prælati collationes facere possint sine Capitulo, & quomodo Capitulum conferre, vel alia Ecclesiastica tractare debeat, annectitur hic alia Canonica doctrina, quod Ecclesiastica beneficia purè, integrè & sine diminutione conferenda sint.

#### CAPITULUM VNICVM.

#### Ut nostrum.

#### PARAPHRASIS.

Relatum fuerat Innocentio III, quod Cancellari a Mediolanensis Ecclesiæ ultra an-

num vacarit, & idè ad Sedem Romanam collatio devoluta sit: quare ipse mandavit, ut certæ personæ conferretur, cum autem Archiepiscopus variam contrariam replicaret, causam ad se vocavit Papa, & cum coram ipso tum procurator Archiepiscopi, tum H. Cancellarius, cui idem Archiepiscopus occultè Cancellariam contulit, tum testes constituti essent, narratum fuit, quod deo H. Archiepiscopus sigillum tradidit post alterum mandatum Papæ, sive etiam avocationem. Ea propter Petrus fex causam quibusdam delegavit sub ea forma, ut si cognoverint, sigillum traditum post causæ avocationem, conditionem irritam pronuntient. Sicut potest in c. *Ut nostrum 20. de appellacione*.